# IVLII CLARI ALEXANDRINI IVRE CONSVLTI CLARISSIMI, AC REGII SENATORIS.

## EX LIBER TERTIO

*Sententiarum Receptarum.*

## §. Testamentum.

Cum Additionibus, & Paraphrasibus celeberrimi. I. V. C. D. Hieronymi Giachari Lugiensis.

*QVANTVM hæc Testamentorum materia præ cæteris omnibus vtilitate, & subtilitate excellat, nemo est qui nesciat. Quotidie enim & in scholis, & in foro versantur super vltimis defunctorum voluntatibus variæ quæstiones. Harum autem cum iam nos superioribus paragraphis bonam partem absoluerimus, eamque præsertim, quæ ad substitutiones, & legata pertinet, restat vt de ipsis testamentis, eorumque solemnitatibus breuiter disseramus.*